



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

148. Fer. 2. De consequentibus visionem beatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. Dom. 4. post Pasch. 259

Quia gaudent, se diligere à Deo, & de bonis Dei, nihilque aliud noverunt, nisi intueri, amare, & gaudere.

MEDITATIO CXLVIII.

Feria 2. post Domin. 4. post Pascha

*De consequentibus visionem
beatam.*

Sicut presente Sole omnia pulcherrimè colorantur, sic viso DEO inquit D. Greg. l. 4. dialog. c. 31. *Quid est, quod non videant, qui videntem, omnia vident.* Petam hoc bonum intelligere, & consequi.

Conf. 1. Quomodo Beatis vitaliter repræsentabitur DEVS, & omnia, quæ sunt in DEO, & à DEO: ita, ut quidquid in DEO est, totum in Beato repræsentetur, & quidem primò gloriosa essentia DEI cum perfectionibus inherens infinitis, infinite perfectis, quòd sit à se independenter, quòd in se contineat omnem perfectionem, quòd per se producat omnem creaturam: sed imprimis videbunt mysterium SS. Trinitatis, sicut est.

Conf. 2. Quomodo in Beato repræsentabitur gloria extrinseca DEI, altera beatæ visionis pars: videbunt enim DEVM agnoscere, amari, honorari ab omnibus, sed super omnia ab Humanitate Christi, deinde à SS. DEI Matre, tum ab Angelis, & Sanctis omnibus

mnibus: denique videbunt in Beatis æternam DEI misericordiam, in damnatis æternam DEI Justitiam.

Conf. 3. Quomodo in Beato, repræsentabitur propria gloria Beati: quia habebit omnem scientiam naturalem, perfectam cognitionem ultimarum differèiarum omnium historiarum, omnium temporum, omnibus circumstantijs, scientiam omnium animalium, omnisque creaturæ. Et cum virtutibus intellectualibus habebit omnes morales, naturales, præterea omnes supernaturales intellectuales, & morales, insuper omnium articulorum fidei evidentiam. Omnia hæc cognitio repræsentabit in Beato hæc tria judicia Intellectus: 1. Quòd DEVS sit primum principium, à quo res omnes pendent. 2. Quòd DEVS sit ultimus finis, ad quem omnia referri debent. 3. Quòd DEVS sit summum, & infinitum bonum, super omnia amabilis. Respondent his actibus intellectus tres actus voluntatis. 1. Accipere de manu Dei omnia, 2. Referre ad DEVM omnia tanquam ad finem. 3. Amare Deum actualiter super omnia. O quando veniam, & apparebo ante faciem tuam! Psal,

41

MEDI.